



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem**

**Opfermann, Paul**

**Moguntiae, 1769**

Angeli neque futura libera.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**



NATURAE ANGELICAE. II

salvos volens facere peccatores, & occultorum cognitione Deum se esse demonstrat. S. AUGUSTINUS Serm. 134. de Temp. loquens de S. Jobo ait: Colebat Deum, faciebat eleemosynas: & quæ corde faciebat, nemo sciebat, nec ipse diabolus; sed Deus noverat. Pariter S. HIERONYMUS in Ps. 16. Diabolus, inquit, in anima intrinsecus nescit, quid cogitet homo, nisi per exteriores motus intelligat. S. THOMAS in illa verba Apostoli I. ad Cor. II Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ait: nec angelus bonus, nec malus ea, quæ in corde hominis latent, scire potest, nisi in quantum per aliquos effectus manifestantur: cujus ratio accipi potest ex ipso verbo Apostoli, qui dicit eam ratione spiritum hominis cognoscere, quia in ipso est. Angelus autem neque bonus, neque malus illabitur menti humanæ, ut in ipso corde hominis sit, & intrinsecus operetur; sed hoc solius Dei proprium est. Unde solus Deus est conscius secretorum cordis hominis.

Neque Angeli futura libera certò cognoscere 9. naturaliter possunt. Certam enim & infallibilem Ne- rerum hujusmodi cognitionem esse peculiarem Di- que vinitatis notam S. Scripturæ perhibent. Accedant, futu- & nuncient nobis, quacunque ventura sunt: priora ra li- quæ fuerunt, nuntiate, & ponemus cor nostrum, bera, & sciemus novissima eorum; & quæ ventura sunt, indicate nobis. Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos. Isa. 41. v. 22. Et c. 44. v. 6. & 7. Hæc dicit Dominus Rex Israel, & Redemptor ejus Dominus Exercituum: Ego primus, & ego novissimus, & abs- que



que me non est Deus. Quis similis mei? vocet & annunciet: & ordinem exponat mihi, ex quo confitui populum antiquum: ventura, & quæ futura sunt, annuncient eis. Id ipsum testatur Apostolus 1. ad Cor. 2. c. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Igitur si qua bona futura Angeli præsentiant, & annunciant, ea divinitus intellexisse censerī debent, nam ut loquitur TERTULLIANUS Apol. c. 10. idoneum testimonium Divinitatis est veritas divinationis. Et S. HILARIUS L. 9. Proprium Deo quid aliud est, quàm cognitio futurorum? S. CYRILLUS L. 4. in Joann. ait: Nulli alii, quàm uni ac soli naturali Deo futura nosse convenit. Quæ verò memorantur de oraculis dæmonum, aut Genethliacorum, vel Ariolorum divinationibus; aut prorsus falsa sunt, aut conjecturaliter & dubie sub verbis obscuris, & ambiguè significantibus prænunciata; aut posito eventu sic conscripta, tamquam diu ante ab idolis, vel ariolis præsignificata.

e) Sanctus AUGUSTINUS L. 2. de Gen. ad lit. c. 17. L. de Divinat. dæm. c. 6. & L. 4. de Trin. c. 17. varios recenset modos, quibus dæmones indagare futura solent, vel ut scire putentur, suis præstigiis efficiunt. 10. Experiētiā præteritorum. Sicut Medici (ait L. 4. cit.) multa prævidendo, etiam sibi mandaverunt, quæ ipsi experta notaverunt. Sicut denique agricola, vel etiam nauta multa prænunciant. 20. Cum naturas omnium rerum, & animantium hominumque propensiones & indoles probè cognitas habeant, quid ex iis tam singulis, quàm invicem conjunctis effici & oriri consueverit, conjecturaliter colligunt. 30. Futurorum notitiam quandoque aliunde percipiunt, sive Angelis bonis ea significantibus, sive homini-

bus



## NATURAE ANGELICAE. 13

bus Dei instinctu præditis, quales fuerunt Prophetæ, & verosimilius etiam Sibyllæ, saltem in rebus ad Dei veri cultum pertinentibus. *Audiunt enim ista & aërea Potestates, sive Angelis ea nunciantibus, sive hominibus; & tantum audiunt, quantum opus esse ille iudicat, cui subiecta sunt omnia.* L. 4. cit. 40. solent interdum & futurorum notitiæ fidem ex eo captare dæmones, quod ea, quæ procul fiunt, aut jam imminere certò sciunt, aliorum locorum incolis aperiant. *Non enim ea (inquit S. DAMASCENUS L. 2. de Fide c. 4.) quæ nondum fieri cœpta sunt, referunt; quia Dominus solus conscius est futurorum; sed quorum conspiciunt in actu iniuriam, eorum sibi tamquam apud ignaros vendicant de futuris fieri notionem . . . Ita & de Nili inundatione solemnè, cùm multas in Aethiopia viderint pluvias, è quibus fluvius intumescens ultra alveum effluere consuevit, præcurrentes ad Aegyptum nunciant annis advenum.* 50. Idem S. D. L. 2. de Gen. ad lit. c. 17. scribit: *aliquando iidem nefarii spiritus etiam, quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt.* Sicut & accepta divinitus potestate lædunt primo, dehinc remedia præcipiunt, ad miraculum nova, sive contraria; post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur. 60. Denique si nihil satis liquidè compertum habeant, verborum ambiguitate hominibus imponunt, eaque enunciant, quæ in utramvis partem congruunt, ut quemcunque res exitum sortita fuerit, eum prædixisse videantur. *Quod si aliquis dixerit, multà ab idolis esse prædicta, hoc sciendum, quod semper mendacium iunxerit veritati, & sic sententias temperavit, ut seu boni, seu mali quid accidisset, utrumque posset intelligi. Ut est illud Fyrrbi Regis Epirotarum: Ajo te Aeacida Romanos vincere posse.* Ita S. HIERONYMUS in c. 41. Isa.

8) *Porphyrius apud Euseb. L. 6. de Præparat. c. 1. in eâ opinione erat, omnia, quæ Dii per oracula & responsa præcinerent, ex astrorum motibus intellexisse. Plerique videlicet id olim sibi persuasissimum habebant, multa è stellis, ac cœlestium orbium agitatione futura conjici, ac prædictionum ejusmodi innumera & planè stupenda exempla referuntur, ex quibus constare aiebant fortuitos casus &*

dyca



eventus, atque eos præsertim, quorum effectio ab libera hominum voluntate dependet, ab Astrologis & Chaldeis certissime prænunciari, cujusmodi sunt mores nascentium hominum, & indoles, instituta vitæ, adversi aut prosperi eventus, subiti & improvisi casus, vulnera, mortes denique per vim aliorum & scelus illata. Hujusmodi divinandorum præcepta qui tradebant, & nanc veluti artem profitebantur, *Astrologi* ac *Genethliaci* solebant nuncupari. Cujus tamen artis vanitatem non Christiani solum, sed ipsi etiam Ethnici jam pridem ostenderunt risu & sibilis excipiendam. Sortes nostræ in manibus Dei sunt: nec fato agimur, sed Numinis regimur providentia; & quisque libera sua voluntate & electione se bonum aut malum esse intimè experitur.

IO. *Similiter Angelorum vim cognoscendi naturalem excedunt Mystera gratiæ, cujusmodi sunt*   
 Ne- que My- steria gra- tiæ. *Mysterium Trinitatis, Incarnationis, aliaque naturæ ordine superiora: vis enim cognoscitiva naturalis ad ea duntaxat porrigitur, quæ in eodem naturæ ordine continentur. Neque hic mens Angelica præ humana quidquam prærogativæ habet. Unde Apostolus ad Eph. 3. c. Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat Principatibus & Potestatibus, in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Quippe nihil est in rerum natura & naturali ordine, quocum Mystera hujusmodi connexa sint; ideoque nec datur naturaliter, quod mentem Angelicam ad certam illorum cognitionem valeat determinare.*

II. *Angelorum locutio definiri potest, quòd sit intelligentis naturæ cogitatio ad notitiam alterius certo indicio perducta. Loqui autem Angelos Deo, hominibus, & inter se, ex S. Scriptura certum*

tum